

de quo ait S. Bern. epist. CCLIII. « Ipse hominis sæculique auctor, quamdiu in terris visus et cum hominibus conversatus est, numquid stetit? Et quidem, teste Scriptura, pertransiit beneficiendo et sanando omnes. » Et mox: « Ibi tu Christiane, fige tui cursus, profectusque metam, ubi Christus posuit suam; factus est, inquit, obediens usque ad mortem. Quantumlibet ergo eucurreris, si ad mortem non perveneris, bravium non apprehendes. » Itaque non in pueritia tantum, sed in tota etiam vita Christus profecit, semper magis et magis heroica designando opera. Quod ergo Carolus V. victoriosissimus et laudatissimus imperator, fortunæ et victoriarum suarum symbolum gessit: *Plus ultra*, hoc sanè infinites magis Christo tribuendum. Quisquis ergo sub hoc militare ejusque symbolo vult gaudere, plus ultra semper conetur, donec ad ipsum perveniat, etc.

CONCIO V.

QUA IN RE ET QUIBUS MODIS PROFICERE CHRISTIANUS DEBEAT.

I. Sapientia: 1. In cognitione Dei. 2. In cognitione sui. 3. In cognitione rerum ad salutem pertinentium. 4. In rebus ad statum ejusque pertinentibus. — II. Ætate, id est, morum honestate: 1. Quotidie inchoare puta. 2. Cogita Deum omnipresentem. 3. Dirige opera tua ad Deum. — III. Gratia: 1. Removendo quæ Deum offendunt, etiam parva. 2. Examinando crebro conscientiam. 3. Exerendo te in mortificationibus et virtutibus.

THEMA.

Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines. Luc. II.

Jacob patriarcha duos inter cæteros habuit filios, Ruben primogenitum, et Joseph penultimum: hunc bonum et morigerum, illum vero reprobum; quibus proinde moriens benedictionem impertit admodum dissimilem. Ad Ruben dixit: *Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, absultique ab eo jus primogenituræ.* Ad Joseph vero: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens et decorus aspectu,* Gen. cap. XLIX. deditque ei partem unam extra fratres suos, Gen. XLIX. Quid sibi, auditores, volunt isti duo fratres? Prior eos significat, qui Christi quidem filii sunt, non crescunt tamen virtutibus: ideoque merentur privari jure hæreditatis suæ. Posterior vero eos, qui crescunt et proficiunt, ideoque promerentur eumulari bonis cælestibus. Rubeni similis fuit

Lucifer, qui quoniam super astra conscendere et similis esse Altissimo voluit, ita a Deo dejectus est in orbem, ut in omnem æternitatem non posset amplius crescere seu proficere ad bonum. Josephus Christi typus fuit, qui ut audivimus in hodierno evangelio, *proficiebat sapientia, et ætate, et gratia*, adeoque verissime filius accrescens fuit. Iste in terris scholam erexit proficientium ad bonum; ille scholam apud inferos nunquam proficientium. Quæro nunc et interrogo, auditores: Ad quam scholam admitti vultis vos? Utique ad scholam Christi, ubi crescatis et proficiatis. Verum si huc tenditis, scire imprimis debetis, qua potissimum in re proficere debeatis. Sunt autem hæc.

I. Proficiendum sapientia; si enim cervus singulis annis ramum cornu suo adjicit, teste Plerio, l. II. hierogl. ex quo ejus ætas colligitur, decet utique et etiam præsertim Christianus singulis annis aliquid sapientiæ et cerebri capiti suo addat: et primo, proficiat in cognitione Dei et rerum divinarum, de qua notitia velut omnium præstantissima ait Dominus, Jerem. c. IX. *In hoc gloriatur qui gloriatur, scire et nosse me.* Pulchre de hoc cecinit quidam: *Si Christum discis, satis est si cætera nescis; si Christum nescis, nihil est si cætera discis.* Secundo, in cognitione sui ipsius; quid non turpius esse potest magisque culpandum, quam alia plurima scire et seipsum non agnoscere, præsertim adulta ætate, post tot experimenta? Et tamen quam multi jam sunt maturi, qui in confessione nequeunt explicare peccata sua: unde hoc, nisi quia seipsos non noverunt? Quemadmodum ergo, qui non curat ea, quæ domi suæ sunt, num domus sit ruinosæ, num uxor et familia fidelis, etc. necessario perire et ad stipem redigi debet; sic qui non attendit ad domum conscientiæ suæ. Tertio, in cognitione rerum ad salutem pertinentium, quas scilicet credere nos oportet, facere aut fugere. Si enim duces militum tanto studio indagant modos varios et rationes expugnandi civitates, annon pluris interest scire nos modos et rationes expugnandi cælum, et quæ ad istud necessaria sunt? Et tamen in scientiis aliis profanis plurimi sunt, qui se perficere student maximo conatu; hanc vero scientiam scientiarum plerique negligunt: tanta enim multorum est ignorantia, ut bonum a malo, peccata a rebus licitis, et ipsa a se mutuo, gravia a levibus, denique artes diabolicas a bonis et licitis nequeant discernere. Inde vanissimas superstitiones alunt, et miros ac supernaturales effectus tribuuntur rebus, quæ neque ad eos vim ex se habent, neque per s. Scripturam, aut Ecclesiæ definitionem,

aut approbatam ab ea traditionem, sibi attributam efficaciam. Quarto, in rebus ad ejusque statum et munus pertinentibus. Quis est enim artifex, qui se in sua arte non perficiat temporis progressu? Sic igitur in suo munere sacerdos, in suo paterfamilias, in suo magistratus, etc. studeat semper crescere et fieri peritior, ne aliquin incidant in illam increpationem, qua Christus, Math. XV. redarguit discipulos: *Adhuc et vos sine intellectu estis.*

Sed nunc, qua ratione proficere in his possumus? Primo, audiendo assidue verbum Dei, Exod. c. XXXVIII. fecit Moyses labrum æneum de speculis mulierum ad ostium tabernaculi, ut ingredienti in eo contueri se et maculas tergere possent. Quid hoc in Ecclesia, nisi verbum Dei? Hoc enim velut speculum ostendit unicuique non solum, quæ ad Dei cognitionem, sed etiam quæ ad sui ipsius propriam et rerum suarum pertinent. Proinde qui id audiunt mox ubi aliquos in se deprehenderunt nævos, illico se corrigant, dicendo: Deus mihi ignoscat, impegit aliquoties in hunc lapidem, dabo operam, ne recidam, etc. Gement a se neglectum esse, quod audiant faciendum fuisse; et sic erit tibi concio velut speculum mulieris. Quibusdam enim est velut speculum viri tantum, de quibus ait S. Jacobus, c. I. *Si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo; consideravit enim se et abiit et statim oblitus est qualis fuerit.* Vir enim speculum inspicit ex curiositate, num canos habeat, num vultu nigro, vel rugoso sit, etc. mulier vero ut se mundet, tegat, ornet. Mulieres hæc in re decet nos imitari, ut nimirum efficaciter et assidue, quoties scilicet ad concionem pergimus, in ea nos contemplerur, sic brevi proficiemus. Secundo, legendo libros pios, ut in primis vitam Christi seu quatuor evangelistas, deinde res gestas sanctorum. S. Chrysanthus a profanis libris ad evangelicos digressus dicebat se de tenebris ad lucem transiisse et invenisse verum thesaurum, indeque adeo profecit, ut martyr factus sit, ut in ejus vita, apud Surium 23. octobris. S. Cæcilia evangelium assidue gerebat in pectore, et nec noctibus nec diebus cessabat a colloquiis divinis, ut in ejus vita. S. Bonifacius jugiter s. evangelii codicem secum deferbat, adeo ut eum nec in martyrio deseruerit; quin vero cum anno Domini 753. in ejus caput Frisii ensem vibrarent, ipse hunc codicem quasi spiritualem clypeum objecit, et illustri miraculo, licet ense acuto per medium sectus sit liber, nulla tamen littera ea sectione abolita est, ut in vita. Tertio, consulendo viros doctos et patrem spirituales. Scriptum

est, Prov. I. *Audiens sapiens sapientior erit.* Si enim viator quærit crebro de itinere, ne aberret, non quæramus nos de via cæli? *State super vias vestras,* (ait Jeremias, c. VI.) *et videte et interrogate, quæ sit via bona.* Quarto: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo,* inquit S. Jacobus, c. I. Postulavit eam a Deo Salomon, et quia placuit Deo hæc illius petitio, obtinuit eminentissimam, III. Reg. III. S. theologorum princeps Thomas Aquinas nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, non præmissa oratione; palam etiam professus est se doctrinam suam magis debere orationi quam studio.

II. Proficiendum ætate, id est, morum gravitate et maturitate. Decet enim ut Christianus exuat puerum cum pueritia, et induat virum cum virili ætate, id est, gravem et honestam ac seriam conversandirationem; ac quemadmodum puer in virum crescens, capite a terra recedit et cælo fit vicinior, sic decet Christianum relictis inferioribus superna et solida bona amare. Ita enim jubet apostolus, ad Eph. IV. *creocere nos in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli, etc.* adeoque deponamus mendacia, iracundiam, furta, sermones malos, indignationem, clamorem, blasphemiam, turpitudinem, stultiloquium, scurrilitatem, ut in sequentibus docet. Puerorum est nugas sectari easque magni æstimare,

Ædificare casas, plaustrum adjungere mures: Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Puerorum est levi de causa ridere et flere, facile irasci, facile mutari, vana et futilla loqui, tempus male terere, pronum esse ad mentendum, modum non servare, et similia, quæ in adulto fœdiora sunt, quam si parvulorum instar equitaret in arundine. Unde idem apost. I. Cor. XIV. ait: *Fratres, nolite pueri effici sensibus; (Græce, mente seu judicio) et capite præcedente in exemplum se hujus professus proponit, dicens: Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.*

Sed qua arte in virum perfectum crescemus? S. Carolus Borromæus tria documenta tradit (ut est in ejus vita) quæ huic rei inservire possunt: « Si vis, inquit, proficere in vita christiana, et perfici in doctrina, virtute et spiritu Christi, hæc tria observa. Primum, quotidie incipere et inchoare te existima, ut scilicet eo fervore quotidie servias Deo, ac si eo die primum ei servire inciperes. » Fuit hoc documentum etiam Psalmistæ se quotidie adhortantis et dicentis: *Nunc cæpi,* Ps. LXXVI. Dic ergo tibi ipsi: *Hactenus semper*

infans fui et insipiens, nunc incipiam vir esse. Item S. Antonii, qui moriturus suis dicebat: « Hodie vos religiosum studium arripuisse arbitramini, » apud Athanas. Cogitet et Christianus, hodie primum se baptizatum esse et Deo servire cœpisse. Ut enim navarchus ad Indos navigans remigantes, et ipsi sese mutuo quotidie ad remigandum admonere solent, quasi nihil adhuc itineris confectum sit, ita nobis agendum: multum enim itineris restat adhuc emetiendum; ad cœlos navigamus: quam longe adhuc absumus?

Secundum, inquit S. Carolus: « In mente semper habete Deum et jugiter cogitate in ejus præsencia versari: spectaculum enim facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. » Idem admonuit nos apostolus cum ad Rom. XIII. dixit: *Sicut in die honeste ambulemus.* Qui noctu ambulat, parum curant, an et quomodo vestiti sint, nec componunt se ad honestatem: secus qui interdum. Quod si ad lumen solis et oculos hominum componimus mores nostros, si inspectante sole multi arcentur a furtis, adulteriis, homicidiis, quanto magis verendi sunt oculi Dei omnia nostra semper observantis et quidem exactissime? *Oculi enim Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum, abyssi et hominum corda intuentes in absconditis partibus,* (ait Ecclesiasticus, c. XXIII.)

Tertium, inquit idem sanctus: « Effice ut omnia tua opera tendant ad Deum. » Ut enim jaculator, si frustra jaculari non vult, oculo prius ad scopum collimare debet, ita si nobis opera nostra non volumus perire, dirigamus ea omnia oculo intentionis ad Dei gloriam. Mane ergo cum surgimus, offeramus Deo omnes actiones nostras die sequentis, etiam indifferentes. Docuit et hoc apostolus, I. Cor. X. dum ait: *Sive ergo manducatis, sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Hac ratione omnia opera nostra plena invenientur et intra paucos dies multum proficiemus. Sagittantes oculum sinistram claudunt, ut collectior sit dexter et rectius collimet; ita etiam nobis claudenda sinistra intentio affectuum terrenorum, ut in nostra conversatione non quæramus hominibus, sed Deo placere: vide supra dom. infra oct. nat. conc. D. II.

III. Proficiendum gratia, ut videlicet Deo semper magis placeamus fiamusque gratiores, adeoque gratiam Dei in nobis per opera bona augeamus. Ad hoc enim connituntur aulici; semper magis student promereri gratiam sui principis, et si eo devenerint, ut per ipsum ex nobilibus barones facti sint, conantur suis obsequiis ita principi servire ut ex baronibus comites, et ex his

tandem fiant principes. Et nonne res pudenda erit si homines hominibus magis placere studeant, quam Deo suo? Sed qua via, quis, crescere in gratia possum? Dico primo, remota esse ea, quæ oculos Dei offendunt, etiamsi parva sint et defectus quotidiani: licet enim per hæc non perdat homo gratiam Dei, reddit tamen se indignum specialibus gratiis, quibus præservaretur a multis peccatis, in quæ sine illis cadet. Si enim ipse tam parcus est erga Deum, ut non velit nisi gravia peccata vitare in ejus gratiam; quid mirum si et Deus tam parcus sit erga ipsum, ut non velit ei dare gratiam specialem et efficacem, sed solum sufficientem? Imprimis vero cavendum, ne studiose et dedita opera committamus ejusmodi venialia delicta; siquidem hæc involvunt aliquem Dei et divinæ legis contemptum, quasi liceret quidem Deo colaphos impingere, modo vita ei non eripiat. Quid? Nonne sat grandis injuria fuit Christo, colaphizari a Judæis? Quis hoc pacto non indignum se ampliori gratia imo et ea quam habet, reddat? Sufficiat nobis multa quotidie inadvertenter et ex fragilitate delinquere; non addamus alia ex certa electione.

Secundo, examinandum crebro conscientiam. Ita docet S. Augustinus, serm. XV. de verbis apostoli: « Proficite, inquit, fratres mei, discutite vos ipsos sine dolo, sine adulatione, sine palpatione. Non enim est aliquis intus tecum, cui erubescas et jactes te. Est tibi, sed cui placeat humilitas, ipse te probet. Proba et te ipsum tu ipse. Semper tibi displiceas, quod es, si vis pervenire ad id, quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. » Hæc Augustin. Objurga te metipsum quotidie et dic: Si toto hoc tempore, quo in schola Ecclesiæ sum, artificio alicui me applicuissem, quid non didicissem? Si ad studia litterarum, nunc doctor essem. Jam vero postquam tot tantaque sanissima documenta in Ecclesia audivi, legi, vidi, adhuc tam rudis, tam immoderatus et passionibus meis subiectus sum. Ah me miserum et miserandum! Jam enim incanui, jam pedem unum in sepulcro posui, et necdum tamen didici jurare, execrari, blasphemare, inebriari, commoveri ad iram, etc.

Tertio, exerce te in mortificatione et virtutum operibus, et in his paulatim proficere stude. Id pulchro apologo docet abbas ille in vitis pp. libro V. cap. VII. « Homo quidam, inquit, habuit possessionem, et de negligentia ejus in sentes redacta est, et repleta est tribulis et spinis. Visum est autem ei postea, ut excoleret eam; et dixit filio suo: Vade et purga agrum possessionis illius. Et venit filius ejus ut purgaret: qui

eum respexisset, vidit multitudinem tribulorum et spinarum increvisse ei: et deficiens animo, dixit ad seipsum: Quando ego habeo hæc omnia eradicare et purgare? Et projiciens se in terram cœpit dormire. Hoc autem facit multis diebus. Post hæc venit pater ejus videre quid fecerat; et invenit eum nihil operatum, et dixit ei: Quare usque modo nihil fecisti? Et dixit juvenis ille patri suo: Mox ut veniebam operari, pater, cum vidissem multitudinem hanc tribulorum et spinarum, revocabar ab assumptione laboris, et præ tribulatione projiciebam me in terram et dormiebam. Tunc dixit ei pater suus: Fili, ad mensuram latitudinis, quam jacens in terra occupas, per singulos dies operare, et ita paulatim proficiet opus tuum, et tu pusillanimitas non efficietis. Quod cum audisset juvenis, fecit sic: et in parvo tempore purgata est, et exulta possessio. Et tu ita frater, paulatim operare, et non deficies. Et Deus per gratiam suam restituet tibi iterum priori ordini tuo. Hoc audito, frater ille abiit, et cum omni patientia sedens faciebat, sicut edoctus fuerat a sene: et sic invenit requiem et promovebatur per Dominum Christum. »

Sic proficiebat paulatim S. Carolus Borromeus, qui primo cœpit se in parvis mortificare et vincere, faciles pœnitentias suscipere, singularum virtutum faciles actus obire: deinde quotidie ulterius ad graviores et difficiliore progrediebatur, habebatque hoc fixum animo, non cessare, non sistere, sed quotidie progredi, donec summum virtutis culmen attingeret, v. g. una septimana abstinere vino, alia carne, tertia pisee, quarta ovis, etc. Itaque eo tandem pervenit, ut ultimis vitæ annis quotidie solo pane et aqua viveret, exceptis festis, etc. ut narrat auctor vitæ ejus, lib. VIII. cap. XXI. Hunc in modum assuesce paulatim ab execratione, blasphemia, ira, ebrietate aliisque quotidianis tibi vitis abstinere; primum uno saltem die, postmodum una hebdomade, deinceps integro mense, demum anno toto. Sed et hoc non possum, inquis. Quid vis tibi ad hoc respondeam? Ad infernum apage sis. Quid enim fit scholari, qui semper in eadem schola sedens, nunquam ascendit ad altiorum, quia nihil proficit? Nonne tandem expellitur e schola? Idem te judicium expectat. Si in schola Christi tamdiu sedens nihil proficisti, ad diaboli scholam perge, ubi ipse et inferi ejus in æternum non proficiunt. Ibi respiscet, sed damno tuo, et sero nimis. Antiqui eos, qui stupidi prorsus et omnis disciplinæ incapaces erant, Antieyras navigare jubebant, velut ad extremum desperatos remedium, quod

ibi helleborum proveniret purgando capiti idoneum. Qui in schola Christi nihil vult addiscere, mittendus est ad infernum, ut saltem eo naviget mente et consideratione. Ibi crescit herba huic stultitiæ pellendæ commoda, æternus scilicet ignis. O quam ibi aperient oculos cum epulone illo et ad cœlum elevabunt? Luc. XVI. Quam ibi respiscet miseri damnati? Quam ibi se redarguent, quod in vita non profecerint? Nonne epulo ille petiit ex inferno, mitti ad fratres suos ut docerentur cavere gehennam? Sed quid hoc profuit ipsi? Nunc herba illa potenda est et gehenna meditanda. Ad extremum, triplicem hunc profectum postulemus a Deo assidue, dicendo cum Davide, Psalm. CXVIII. *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. Bonitatem, ecce profectum in gratia: disciplinam, ecce profectum in ætate: scientiam, ecce profectum in sapientia.*

CONCIO VI.

DE TRIBUS VIRTUTIBUS QUAS EXERCET CHRISTUS IN EUCHARISTIA.

I. Summam humilitatem. — II. Summam patientiam. — III. Summam obedientiam.

THEMA.

Descendit cum eis et venit Nazareth et erat subditus illis. Luc. II.

Inter alias causas ob quas Christus Dominus in Ecclesia nobiscum remanere in s. eucharistia voluit, non minimam esse mihi persuadeo eam, qua intendit nobis præbere exemplum earum virtutum, quæ nobis difficiles videntur, humilitatis, patientiæ, obedientiæ. Poterant enim discipuli Domini dicere ipsi abeunti in cœlum: Domine, tu quidem vadis jam ad patrem et gloriam, nihil amplius passurus, nec socius passionum nostrarum futurus; nos vero relinquitur hic orphani, quibus tam dira, tam tristia prædixisti: spernemur et exprobrabitur nomen nostrum, flagellabimur, ducemur quo non volumus: et nos quidem sine te. Verum hanc querelam Christus amolitus est, dum nobiscum remanere decrevit in eucharistia; ubi verissimus est noster Emmanuel, id est, nobiscum Deus, nobiscum, inquam, in humilitate, patientia, obedientia. Tres hæ virtutes eluxerunt in Christo puero, cum descendit in Nazareth: humilitas cum audimus: *Descendit cum eis:* patientia, cum dicitur: *Et venit Nazareth:* obedientia, cum additur: *Et erat subditus illis.* Et has easdem exercet Christus etiamnum,